

Petrus de Vinea

*Ep. II 20 (Detestabile quidem
et segregatum a qualibet...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 20 (Detestabile quidem
et segregatum a qualibet...)*

21 luglio 1246

Alfonso primogenito regis Castellae, de qualibet
captione proditorum suorum

1. Detestabile quidem et segregatum a qualibet
humanitate propositum Thibaldi Francisci, Guillelmi
de Sancto Seuerino, Andreae de Cicala, Pandulphi
de Fasanella, Iacobi de Morra et aliorum suorum
complicum, proditorum nostrorum, ad te per nostrae
celsitudinis apices peruenisse iam scimus, nec nos
delectaret harum seriem in presenti describere uel
exaggerare malitiam, quam nullo fuisse conceptam
tempore gauderemus, nisi quod idcirco libenter ipsorum
enormes sciri desideramus excessus, ut quatenus motus
nostros in eos augusta clementia temperat, eatenus ab
omnibus nostra modestia clarior censeatur. 2. Hos,
qui nos tam iniquo proposito trucidarunt, si tamquam
cuiuslibet hominis homicidas occidimus, iniuste non
agimus. 3. Hos, qui ueluti filios dulcedine paterna
nutriuimus, si tamquam perfidos patricidas, inter ferales
angustias comprehensos, in uicinum mare proicimus,
ut omnium elementorum usu carere uiuentes incipiant,
non peccamus: in hos, quos parentes suspendiis,
filios exposuere martiriis, in hos denique, qui suae
generositatis immemores et nostrorum beneficiorum
ingrati ac debitae fidelitatis obliti, nobilis regni nostri
Syciliae non filii, sed priuigni, Deum et hominem
sic incredibiliter offenderunt, quod nec infamia culpae
conueniens, nec delicto pena sufficiens uideretur.
4. Ad horum ergo perniciem, indignationis nostrae
peruenit aculeus, diuina clementia, quae sic ipsorum
infatuauit aperte consilium, quod predictos Thibaldum
Franciscum, Guillelmum de Sancto Seuerino, et... et...,
eorum complices, inferioris gradus, generis et etatis,

nefandissimi sceleris patratores et contra nos diuinae potentiae contemptores, conuenientia cogitare consilia et sufficientia preparare subsidia non permisit. 5. Qui cum potuissent munitiones quaslibet Regni nostri pro uelle preripere, tum ex familiaritate precipua, quam ad ipsos consiliorum nostrorum participes et omnium negotiorum actores preteritis temporibus habebamus, tum ex predicti Andreae de Cicala, in regno Syciliae nostri capitanei generalis nefando consortio, qui per quaelibet castra nostra suae iurisdictioni commissa ponere poterat et deponere castellanos, castrum Capacii nomine, quod capi de facili, non immerito, poterat formidare, sic subito, sic temerarie conscenderunt, sic exiliter munierunt, ut nedum contra Romanum principem, qui precelsa cacumina montium potenter inclinat, sed nec contra potentioris uicini potentiam tueri se longo certamine potuissent. 6. Et licet non defuisset eisdem ad defensionis longae fiduciam rupis excelsae munitio, murorum fortium ambitus et copia bellatorum uel defensorum, uerumptamen adfuit necessarium rerum, sed aquae precipue non preuisa penuria, quam naturalem ex fontibus rupes fossosae negauerant, et accidentalem ex pluuiis cisternarum edificata concauitas in tanta copia non habebat, quod a ueris introitu, quo munire se ceperant proditores, per totam proximam futuram estatem sufficere pugnantibus et ex anxietate pugnae sitientibus ac copiose bibentibus potuisset, cuius copiam estiui aeris uiolentia subtrahebat, quam etiam si celitus contra suae perfidiae meritum habuissent, in tantum conductus aquarum et muros omnes machinae nostrae confregerant, ut ad cisternas transductio per canales omnimoda negaretur. 7. Quod factum est, ut expugnati per fidelium regnicolarum uictoriam

gloriosam, qui ad uindicandum eorum opprobrium accensi per fidem in expugnatione infidelium nostrorum proditorum et castris propugnatores extraneos admittere noluerunt, decimo septimo presentis mensis Iulii, factionis tam principes quam sequaces se debitae penae, potius quam misericordiae, tradiderunt. 8. Quibus omnibus preter spem omnium et contra uota multorum expeditis celeriter et ad uotum cum diuina prouisio impedimenta substulerit, longis et callidis studiis nostrorum processuum cursui preparata iam liberi reddimur et resumpta uictoria fortiores ad nostrorum rebellium omnium, quantumcumque recalcitrent, fine laudabili reliquias conterendas.